



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Tractatus XVII. De securitate quam in hâc vitâ habemus obtentae gratiae,
aut nos esse in statu filiorum Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

OCTAVVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ.

Animam securam reddere acceptæ à Deo peccatorum gratiæ; litteras abolitionis, vt sic dicam, subsignando & porrigendo.

TRACTATVS XVII.

DE SECVRITATE QVAM IN HAC VITA
HABEMVS OBTENTÆ GRATIÆ, AVT
QVOD SIMVS IN STATV FILIORVM DEI.

Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro
quod simus filij Dei: si autem filij, & hæredes.
Ad Rom. 8. v. 16.

Ostenditur Conscientiæ solius esse, animam certam & securam reddere obtentæ gratiæ. Hæretici volunt certitudinem illam debere esse Fidei: sed refelluntur. Certitudo quam de obtentâ gratiâ habemus, est certitudo moralis. Exponitur, quàm illa reddat animam securam obtentæ gratiæ. Denique ostenditur quot modis Conscientia securitatem illam præstet: & explicantur Scripturæ quæ securitatem omnem videbantur animæ denegare.

P R O O E M I V M.

PEracta sunt tandem omnia, quæ ad criminum gratiam obtinendam, pro sacro Dei in terris tribunali, legitimè erant præmittenda. Et quidem facta jam est pœnitenti criminum gratia: authenticæ tantùm ei porrigendæ sunt litteræ, quibus munitus, de obtentiâ gratiâ cer-

Y y 2

tus sit

tus sit ipse, & se quoque posthac contra vim omnem, aut hominum obtrefantium ora possit defendere. Hoc rursus Conscientiæ est officium; gratiam nempe relata jam esse, menti legitime denuntiare, eamque contra infestantium voces munire, sic ut testimonio ab ipsâ dato certa sit: & gratiæ imprimis secura, omnes circa se obortas tempestates videat quasi ex tuto, & rideat ramquam minimè nocituras. Atque hæc est tandem, quam Conscientia animo præstat, mentis tranquillitas. Tres præcipuè habet aduersarios animi pax, & totius hominis lata ferenitas. Seipsum imprimis; cogitationes inquam suas, quibus dum variè implicatur mens, de statu suo dubitat, neque sibi ipsi fatis acquiescit: hinc angustia, hinc suspiciones, hinc tædia: hinc denique vita ipsa, salutis consequendæ tam incerta, fastidiosa sit & tetrica. Secunda tumultuum caussa, humana sunt iudicia sed distorta; convitia nonnumquam, & optima quæque arrorentium diæteria. Tertia est Dæmonis inueterata peruersitas, homini tranquillitatem inuidentis, eamque interpellantis vndique; & tum præcipuè cum decretoria instat mortis hora, salutis æternæ datura initium. Contra tres tam infestos hostes, pacisque omnis perturbatores, quo pacto Conscientia mentem armet, sic ut tela omnia imperterritus & plagæ immunis animus excipiat, tribus deinceps Tractatibus est peragendum. Nunc verò, quam securitatem sibi ipsi afferat, despiciendum est imprimis: illudque ostendendum, Conscientiæ testimonio certum reddi hominem, gratiæque obtentæ tam securum, ut ne dubitare quidem de hæc re quidquam debeat. Secundò, contra hæreticos demonstrandum, non esse Fidei hanc certitudinem; moralem tamen esse, eamque cui nemo prudens non acquiescat. Tum demum visuri sumus, quibus vocibus tam præclarum Conscientiæ testimonium menti detur; seu quæ signa sint, quæ moralem de obtentâ gratiâ certitudinem, animo inducant.

*Tres hostes
gaudij &
paciæ inter-
na.*

S. I.

Conscientiæ est, animam de relatâ à Deo peccatorum gratiâ securam reddere. Hinc de eâ certus est, quisquis Conscientiæ securitatem obtinet. Probatur id ex Scripturis, & sanctis Patribus.

1. **O**fficio suo ritè dum perfuncta est, Deo pro peccatis à se commissis supplex anima; scelera nimirum perpetrata seriò detestando, eaque, si fieri jam posset, ita penitus abolendo, vt ne in rerum quidem naturâ existura fuerit tam enormis actio, quâ & Deo, & Dei vicarias partes agenti Conscientiæ scèdè sit rebellatum: deinde postquam scelera omnia pro Christi tribunali ejusque Vicario Sacerdote, sincerè, & prout à Dei actorè Conscientiâ, post serium examen fuère comperta, representata quoque fuerint, sic vt tota pœnitentis caussa sit in confessio: tum demum Conscientia, quæ judicis interni partes egit hætenus, gratiæ obtentæ securitatem Animæ tandem affert, eiusque tabulas, pœnitenti in manus porrigit. En rei ordinem. Dolet de peccatis reus, & vitæ anteaactæ pertæsus, gratiam postulat. Accurrit Conscientia; & ne nihil non ritè fiat, examinat singula discutitque. Quæ proponenda sunt pro tribunali, confitetur. Gratia sententiam pronuntiat Sacerdos. Illam quasi subsignat Conscientia; & cum se bonâ fide egisse sciat omnia, de relatâ gratiâ dat cautionem, omnemque securitatem præstat animæ.

Gratiam à Deo peccatori factam testimonio suo signat Conscientia, & de eâ præstat animæ securitatem.

2. **A**tque hinc demum, vbi turbata paullò antè erant omnia, maxima liquidissimaque subit animum tranquillitas. Nam vt rectè Propheta: *Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculo fiducia, & in requie opulentâ.* Quid enim Deus pacis, præter pacem optat? & peractis jam omnibus quæ justè requirebat, quid aliud expectari potest à tam benigno Numine, nisi pax & concordia, & turbarum quæ totam mentem exagitabant silentium, ac denique magna confidentis animi securitas? Sanè pax hæc est, quam mundus potest promittere, sed non dare. Exuperat omnem sensum quod exinde nascitur gaudium,

Hinc animæ Gaudium & pax summa.

dium, inquit Paulus. Et cum illud Paradisum terrestrem Patres, Ad Phil. 4. v. 7.
 cum *Tabernaculum fidei* vocet Isaias, nil quidquam tamen præ-
 clari dicerent, nisi gaudium hoc quod in mortali corpore utrum-
 que percipitur, arrha etiam esset cœlestis gloriæ, quæ solos manet
 filios Dei. Non mirabor itaque deinceps, tanti facere has sibi à
 Conscientiâ porrectas gratiæ tabulas D. Paulum: omnia humana
 qui contempsit, & arbitratus est ut stercora, in his tamen gloria-
 tur. *Gloria*, inquit, *nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ.* 2. Cor. 1.
 Ingens testimonii vis, cui gloria tanti Apostoli tota quanta est, v. 12.
 soli innititur.

In peniten-
 te testimo-
 nium Con-
 scientiæ, est
 iudicium
 intellectus
 quo statuit
 ritè à peni-
 tente pera-
 cta omnia.

Si verò quid id sit exquiris; respondeo Conscientiæ testimo-
 nium, actum intellectus esse, quò mens sincerè & liquidò statuit,
 omnia ritè peracta esse quæ reconciliationi cum Deo faciendæ
 3.
 iudicabantur necessaria. Vnde id statim colligit anima, sibi se-
 cum, id est cum Conscientiæ iudicio, benè esse. Judicat enim tam
 in examinandis, quam in detestandis criminibus operam quæ re-
 quirebatur esse collatam; iudicat denique pro sacro Tribunali
 omnia ritè declarata. Atque hinc demum, si Diuinæ pollicita-
 tiones veræ sunt & inconcussæ, quibus gratia penitenti seriò pro-
 mittitur, rectè sic secum argumentatur mens: Conscientiæ meæ
 iudicio satisfeci, igitur & Deo à me factum est satis; ac pro-
 inde de gratiâ obtenta secura sum, nec quidquam est quod du-
 bitem.

Testimoniū
 Conscientiæ
 securitatè
 prestare
 probatur
 primò ex
 D. Paulo
 cuius locus
 tripliciter
 exponitur.
 Primò.
 Secundò.

Quid enim? An non signatò Paulus affirmat: *Ipse Spiritus*
 4.
testimonium dat spiritui nostro, quòd simus filij Dei: si autem filij
 Ad Rom. 8. v. 16.
& heredes? per spiritum autem nostrum, unicuiusque Conscien-
 tiam intelligi docent Diuus Hieronymus, & Origines. Quòd si
 autem ipsemet Spiritus Sanctus Conscientiæ nostræ attestatur, in
 filios Dei assumptos esse nos; sanè non est quòd de Conscientiæ
 testimonio securus non sim, cum aliud mihi non annuntiet, quàm
 quòd ei à Spiritu Sancto est suggestum, eiusque testimonio &
 auctoritate confirmatum. Jam verò, si cum Græco textu legere
 libuerit, *Ipse spiritus contestificatur spiritui nostro*, seu Conscientiæ,
 quòd *simus filij Dei*; tum sanè hunc sensum elicio. Quotiescum-
 que Conscientiæ ita satisfactum est, ut illa testetur filium Dei esse
 me, filius Dei verè sum: etenim contestificatur Spiritus Dei
 spiritui nostro; id est, testimonio Conscientiæ calculum adjicit,
 illudque probat. Aut si Conscientiæ auctoritatem & fidem adhuc
 altius

Tertiò.

aliùs placet extollere, sic locum hunc intellige. *Spiritus contestificatur spiritui nostro*, id est, Spiritus Sancti & Conscientiæ testimonium in hac causâ, vnum idemque sunt, neque alterum sine altero aut testatur, aut securitatem præstat, fidemue facit pœniten-
 tenti. Nescio quo pacto rem hanc explicem, nisi istud dixerò, Conscientiam esse, cui absolutionis datæ tabulas subsignandas committit Deus. Et prout, in forensi Senatu, nihil quidquam reo securitatis dat diploma Regium, quò gratia delicti conceditur, nisi à summo Præsidi visum fuerit & verò etiam subsignatum; sic vt huius signatura contestificetur Principis voluntati: ita nequidquam peccatori concessa est criminum gratia, neque de obtentâ potest esse securus, nisi à Senatûs priuati & interioris Præsidi Conscientiâ, rei benè feliciterque cum Deo peractæ testimonium obtineat. Hoc si consequitur salua & secura sunt omnia. En quanta Conscientiæ sit auctoritas. Itaque si scire desideras, quo in statu res tuæ sint, Conscientiam adi, Deo à secretis est: nec quidquam in Diuinis est tabulis à te quod exigatur, nisi quod illa subscripsit, suoque testimonio approbavit. Rursus si an malè tibi cum Deo sit aues intelligere, si quorum scelerum in cœlesti curiâ reus sis exquiris; adi Conscientiam, tabulas ad manum habet, edicet clarè omnia; & quæ non edicet debita, non exiguntur. Denique si de reconciliatione an facta sit, vis esse securus, ipsam interroga; & si fausta nuntiet, acquiesce, & viue securus tui.

Explicatur comparatione.

5. Neque sanè, hæc sine Sanctorum Patrum approbatione adstruo. Certè D. Basilius in Regulis breuiter disputatis, breuibus quidem, sed neruôsè rem stringit. *Queres, inquit, quâ ratione persuaderi possit animæ cuiuspiam quod à peccatis sit libera? Respondet? Si quis in seipso, animi affectionem similem Davidis inesse animaduertit: apud quem est; Iniquitatem odio habui. & abominatus sum vt verè dicere possit: Non adhesit mihi cor prauum tunc sine dubio credat se esse liberum à peccato.* Ita disertè D. Basilius, Conscientiam itaque conueni & consule. An illa iudicat, Voluntatem commissâ delicta sincerè detestari? deinde non adhærere tibi cor prauum, seu rursus relabendi desiderium; contra verò, omnia deinceps acturum te ex Conscientiæ mero rectoque dictamine? hoc si testimonium tibi dat, tunc ex mente D. Basili, *sine dubio credas te liberum esse à peccato.* Mundamnè, & ab omni labe prorsus puram Conscientiam an obtineas, eamque cui tutò fides adhi-

Probatnr secundo ex SS. Patribus.

Quantum à Conscientiâ inuolanda sit, vt scias an peccata sine condonata.

D. Basili. in regul. breuiter. disp. interrog. 296.

adhiberi possit, scire si desideras; ipsam interroga an actionem ullam habeat, quam tibi posthac subito & confestim possit intendere, nullo deinceps instituto criminum examine; seu an alicuius, quod expositum Confessione non sit, sceleris recorderetur. An sciat inquam interroga: non verò an per scrupulos agitata, quidquam sinistri adhuc latere suspicetur. Deinde roga difertè, an sciat aliquam adhuc delinquendi voluntatem superesse. Quod si utrumque neget, *sine dubio crede te à peccatis liberum esse.* Nam ut manifestè Isidorus, rem totam egregiè confirmans, sine hæsitatione asserit, *Conscientia munda est, qua nec de preteritis justè accusatur; nec de presentibus injustè delectatur.* Justè inquit, accusatur; & rectè: nam scrupulorum suggestiones injustæ sunt, neque tam accusationes censendæ, quàm conuitia & calumniæ, quibus se turbata mens insanè impetit, & misere incassum torquet.

Isidor. l. 1.
Soliloq.

6.

Pura Conscientia securitatem præstat obtenta gratia.

Denique scire vis an Deo gratiofus sis; an accepta quæ agis, & clarè ut loquar, an Gratia statum dignitatemque obtineas? Certè alia alii tibi signa porrigent, è quibus id possis conijcere, sed nullum Conscientiæ testimonio euidentiùs & securius. Testem appello D. Bonaventuram in commentariis Theologicis. Ita habet. *Dicendum quòd quamuis de meritis non habeatur certitudo per scientiam necessariam; haberi tamen potest certitudo per probabilem coniecturam, & per quandam ipsius bonæ voluntatis confidentiam, quæ consurgit ex Conscientiâ. Puritas enim Conscientiæ, quæ introducit per expulsionem culpæ, dat ipsi animæ quandam securitatem & certitudinem de merito jam inchoato (en securitatem obtentæ gratiæ) & per consequens, certitudinem de præmio consequendo.* Quid in rem meam dici potuit accommodatius? plura profectò mihi dat D. Bonaventura, quàm petieram; non enim præsentis tantummodo statûs, & gratiæ, sed & futuræ gloriæ securitatem, è Conscientiæ testimonio petendam asserit.

D. Bon. in
3. dist. 26.
a. 1. q. 5.
ad 1.

Acquiescendum igitur est testimonio Conscientiæ.

Igitur si Conscientia iudicat, res tuas ex mente Dei fluere, ei sine dubio crede, eiusque testimonio fidem da. Neque enim te umquam decipiet, nisi & hoc etiam tacitè suggerat, sic tamen ut intelligas, mentiri se & fallere. Igitur acquiesce bonâ fide testanti Conscientiæ; ejus enim iudicio acquiescit ipsemet Deus. Hinc tantâ fiduciâ cum Deo agit Joannes Apostolus, agendumque à nobis docet. *Charissimi, inquit, si non reprehenderit nos cor nostrum,*

1. Ioan. 3.
v. 21.

strum,

strum, fiduciam habemus ad Deum, esse nos nimirum acceptos Deo, neque debere offensum eum pertimescere, quos Conscientia non reprehendit.

8. Atqui si res meæ cum Deo, loco sint optimo; si Conscientiæ ^{et vinen-} pacem obtineo, ejusque nitor testimonio; quid demum in hâc ^{dum latè.} vitâ requiro vltcrius, vt meipso contentus viuam? quid me vanis suspitionibus nequidquam torqueo, & pacem quam in manibus habeo, sollicitudine vanâ interturbo? denique quid mihi timendum est, vbi Deum habeo mihi propitium, & pro me, contra futiles agitationes animi, testimonio suo stantem Conscientiam? prorsus nihil. Acquiesce igitur, & teipso fruere, contentus te. En tandem vt Conscientia, veram solidamque tranquillitatem animo afferat, hoc vnico instructa testimonio, *quid simus filij Dei.*

8. Summæ consolationis, inquires, sunt hæc omnia; eaque quæ in hâc miserâ vitâ beatitudinem mortalibus præstare possent: nisi Sacris litteris viderentur aduersari; adeoque dici hæc non tam verè, quàm magnificè. Quid enim tritum magis, & magis tamen expauescendum, quàm istud Ecclesiasticæ, *sunt iusti* ^{Obiectio eu-} *atque sapientes; & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit* ^{iacri pagi-} *homo an amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur* ^{na.} *incerta? Deinde, quàm istud Ecclesiastici est durum, de propitiato peccato, noli esse sine metu? Denique laudat Philippenses* *Diuus Paulus, quòd cum metu & tremore salutem suam operentur.* Vt quid ergo nos miseri nobis abblandimur? quid vanâ nos fiduciâ temerarij decipimus? quid Conscientiæ testimonio, salutem committimus? Insignis omnino, atque vt primâ fronte sese objicit, insuperabilis videtur obuoluta difficultas. Verùm vt spero, facillè complanabuntur omnia, rem vt ex-
pouero.

Eccl. 9.
v. 1. 2.

Eccl. 5.
v. 5.

ad Phil. 2.
v. 12.

Certitudo generatim duplex est; alia objectiua, alia subiectiua. Objectiua rursus triplex; nempe certitudo Fidei, Physica, & moralis. Explicantur singula, earumque natura.

Ingens operæ præmium laturum me existimo, si multorum non sine fastidio oborientes curas, hæc in parte sedauero, clareque exposuero, ubi tam varia sunt Diuinæ paginæ testimonia, quid sit de re. Aliqua enim certitudinem omnem pœnitenti præstant, animos erigunt, & plenos reddunt bonâ spe: alia ex aduerso, incerta faciunt omnia, mentem dejiciunt, totamque animam implicant suspicionibus. Explicandum est igitur, quæ, & quanta sit certitudo, quæ de obtentâ gratiâ, Conscientiæ testimonio obtinetur: ac proinde quanta sit mentis securitas, illi certitudini quæ innititur. 10.

Hoc verò rursus, vt clarè exponatur, dicendum est; certitudinem in duas dispesci species; quarum singulæ, ex variâ origine differentiam trahunt. Et vna quidem ex objecto nascitur, diciturque *Certitudo objectiua*; altera ex subiecto, seu homine ipso, exortum ducit, & dicitur *subiectiua*. Obscura sunt nomina, res perceptu sat facilis. Certitudo enim quæ exoritur, ex euidentiâ rei propositæ, aut ex rationibus quæ sufficiunt vt prudenter iudicetur rem ita planè esse prout menti objicitur, ea censetur *objectiua*, seu nata ex objecto: adhæret enim rei propositæ intellectus, per actum iudicii: non quia voluntas id tantum vult aut imperat; sed quia rationes sunt ejusmodi, vt de rei veritate dubitare non possit, nullo autem modo ei dissentire. Sic certus sum, Totum esse majus suâ parte: certus sum me videre quæ video, columnam esse in rerum naturâ quam oculis intueor, aut sensu percipio. Sic denique si constanter à pluribus fide dignis victoria ab hoste relata renuntiatur, quæ tum litteris, tum militum qui res egerunt testimonio confirmatur; tandem certus reddor, neque de victoriâ dubito: ea autem certitudo, seu intellectûs adhæsiō, ex rei propositione obuēnit; rationes enim credendi sunt ejusmodi, quæ 11.

*Certitudo
objectiua
seu nata ex
objecto quid
sit.*

quæ prudentis animum meritò afficiant, ejusque assensum tandem extorqueant; nisi imprudenter omnino & ex animi peruicaciâ velit dissentire.

12. Altera ex ipso subjecto existit certitudo. eaque est, dum quis Certitudo
subjectiua. cuidam sententiæ aut effato mordicùs inhæret; non quia ratione ducitur quæ cogat assentiri, sed quia vult. Atque hinc fit ex imperio voluntatis, vt ita iudicet rem esse prout esse vellet; illique iudicio ita affigitur, vt ratione nullâ, nullâ auctoritate, à conceptâ sententiâ possit dimoueri. Sic rumores, de patriæ suæ faustis in hostico progressibus, quantumuis sparsos temerè, ita desuauiantur nonnulli, vt illico de victoriâ certi sint, quam à suis optauerint esse obtentam. Certi sunt, quia statuunt de rebus faustis non dubitare. Hanc certitudinem, quam non malè Pertinaciam iudicii dixeris, patet ex ipso subjecto, seu homine certitudinem sibi fabricante, non verò ex rei veritate rationibus propositâ prouenire; hinc rectè dicitur *subjectiua*.

13. Oritur autem hæc firma mentis adhæsiō aut potius pertinacia, Oritur hæc
ex quatuor
causis *Primò* quidem, aliquando ex cerebri intemperie, & phantasmatum repræsentatione viuâ, rem exhibentium quæ nusquam est. Quod plerumque infans vsuuenit; qui se Reges modò, modò Deos credunt; & verò ita de suâ potestate certi sunt, vt non sine adstantium admiratione & risu, dignitates passim distribuunt, & sua cuiuslibet dent imperia. 1. ex insania. *Secundò*, nonnumquam ea certitudo, 2. ex ignorantia & stultitie. ex merâ rerum ignorantia procedit. Sic sunt nonnulli homines agrestes, simplices, & stupidi, qui tam sincerè acquiescunt circumforaneis nugatorum pronosticationibus, quæ vulgò Ephemeridibus, quas Almanachos dicimus, continentur, vt ne Euangelio quidem, istud si peruoluant, majorem habituri sint fidem. 3. ex passionibus. *Tertid*, non rarò ex affectione animi, præsertim Amore & Odio, certitudo hæc enascitur. Antiquum est istud: *Nescis an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* Et quod pessimum est, quæ sibi finxerunt somnia, habent pro indubitatis: neque pictor vllâ arte, amicam sic depinxerit, qualem amore percitus credit esse: neque quod odisse quis statuit, vllus concipit quàm sit fœdum, & quale sibi præstituit is qui odit. 4. ex voluntaria peruersitate. *Quartò* denique, ex merâ peruersitate voluntatis plurimi certi sunt; prout in hæresiarchis plerumque euenit. Sanè aut certitudinem illam fingunt vt decipiant; aut si verè erroribus suis inhæreant peruicaciter, neque de iis sese dicant

cant dubitare, jam certè aguntur non rationibus, quas satis sciunt contra se stare, sed voluntatis solo imperio. Atque hæc demum est, *Certitudinis subiectivæ* natura & origo. Quæ quamvis ea non sit, de quâ habendus est sermo, explicanda tamen fuit, ut prior, quæ vera certitudo est, objectiva nempe, intelligeretur commodiùs.

*Certitudo
objectiva
triplex.*

Hiscè ritè perceptis, dicendum est deinde, veram hanc certitudinem quæ nascitur ex objecto, variam esse, pro rationum quibus innititur varietate & differentiâ.

14.

*Prima certitudo
Fidei. Quid
hac sit, &
unde oriatur.*

Prima enim fundamentis iis innititur, quæ falsa esse aliquando, omnino est impossibile. Atque ex iis oritur, *Certitudo Fidei*. Quòd enim Deum credam humanam Carnem assumpsisse, id quidem testimonio Divino innititur. Cùm verò illi nulla falsitas aut impostura possit immisceri, illudque certò etiam iudicem; exinde fit ut de Incarnationis mysterio nullus dubitem; & ea menti meæ certitudo obueniat, quæ falsa fieri non possit, ne à Deo quidem. Atque hæc est firmissima mentis adhæsió, seu supernaturalis certitudo Fidei, iis superstructa fundamentis, quæ nullo profus casu possunt fallere, nec à Deo destrui, potentiam suam etiam absolutam applicante.

15.

*Secunda
certitudo
Physica. Eius
exortus.*

Altera certitudo, seu mentis prudens adhæsió, non ineptè dicitur, *Physica aut naturalis*, nimirum è naturæ consonis petita argumentis aut proprietatibus. Quæ quidem, si Dei potentiam absolutam spectes, quamvis possint destrui, ac propterea fallere; tamen spectata decretorum Dei cursu ordinario (quem ego naturam rerum esse existimo) non destruentur sine miraculo, ac propterea non fallent, quamvis fieri omnino posset ut fallerent. Sic certus sum Solem occubiturum vesperi, oriturum manè: ignem adusturum quæ objecero; lapidem gravitate suâ petiturum terram quem manu projecero; neque vlla menti meæ insidet de his eventibus dubitatio. Et tamen fieri posset, imò factum est nonnumquam, ut Deo sic agente, præter rerum naturam & proprietatem, alia omnia contigerint: neque si modò eadem obvenirent, quidquam de Divinitate Dei, ejusque veracitate detraheretur. Ut enim statuerit creaturis omnibus cursum suum, ordinariamque naturæ leges permittere; nusquam tamen promisit, iis sese, pro potestate summâ & absolutâ, numquam intercessurum. Certitudo itaque de his habetur physica: id est ex naturalibus petita rationibus;

16.

tionibus; & talis, quæ licet omnino possit falli, aut fallere, non tamen faller, nisi per miraculum naturæ actiones intercipiantur.

17. Tertia denique est, *Certitudo moralis*, aut humana. Innititur autem ea aut rationibus aut conjecturis, quæ licet singulæ possint fallere sine vlllo prorsus miraculo; tamen conjunctæ sunt ejusmodi, vt sine miraculo, aut certè sine casu aliquo præter omnem expectationem prudentem oborto, mentem decepturæ non sint. Et sic quod singulæ rationes non possunt, possunt omnes; hominem nimirum certum reddere, suspiciones omnes falsi amouere; denique ita securum facere, vt de rei veritate non ambigat; aut sanè ambigat imprudenter. Sic dum in templo Sacris aut concioni interfumus, metu vacui res nostras agimus, de templo ruinâ suâ nos oppressuro admodum securi & certi. Molem enim multis annis omnem aëris intemperantiam, ventorumque vim, suâ firmitate superasse jam vidimus: columnas solidas, murosque sibi constantes suo niti perpendicularo, nequidquam obnitente fornicis pondere: fornicem ipsum nec rimas agere, nec fatiscere, sed ex omni parte sibi cohære, oculis ipsis perspicimus. Quid ergo hîc est quod prudenter timeatur? An tempestas aliqua qualem non vidit antiquitas, & quam ne decem quidem sæcula semel ferunt? Insolita hæc sunt nimirum, quàm vt securitati meæ quidquam detrahant, aut de ruinâ templi peruersè suspicer. Et tamen si attendas singula, quæ soliditatem templo dant, ea sunt ejusmodi vt singula possint fallere. Muri enim possunt cedere; columnæ singulæ possunt è perpendicularo detrudi, & tum tota dissoluetur fornicis conjunctura, ac templum abibit in ruinam. Sic est; sed cum ferramentis inter se conjuncta sint singula, sibi mutuo sunt subsidio, seseque constringunt nexu tam valido, vt securus templum subeam, vitamque committam toti moli, quam singulis partibus non concrederem.

Tertia certitudo moralis.

Exponitur quid sit & unde nascatur.

18. Sic rursus, dum victoriæ ab hostibus obtentæ rumor peruagatur, nihil quidem adhuc de rei veritate quid sit, certi statuo, nisi imprudenter. At si affluant quotidie & nuntii, & litteræ, & quidem variis è locis exarata, quæ constantè idem asserant; certè qui primò fuerant rumores imbelles, nec sat firmi quibus iudicium de re actâ subjicerem, adeò ex mutuo nexu conualescunt, vt quæ antè fama fuerat, & ex famâ nata opinio; nunc scientia vocari

Magis explicatur in fide humana.

possit, cui tutò quisquis prudens est, & sine vllâ falsi suspitione assentitur. Atqui si singulos qui rem detulère attendas, sane sine miraculo mentiri possunt singuli. Sic est; sed prodigium inauditum esset omnino, tot homines, locis adeò dissitos, mihi incognitos, in hoc conspirasse, vt mihi quod falsum est obruderent. Imò tanta posset esse idem attestantium multitudo, vt rectè possim statuere, sine miraculo in vnum idemque mendacium effingendum non potuisse concurrere. Quis enim asseret hominum arte potuisse fieri, vt omnes omnium nationum homines, iam inde à Remo & Romulo conspirarint, vt Romam esse aut fuisse mihi persuadeant, quam natura numquam tulerit? Et tamen singuli mentiri potuère. Fateor; sed quod potuère singuli; sine prodigio & præter omnem humanum morem, non potuère omnes, & tam multi. Quid demum inquires, an non potuère falsum dicere? Potuerint singuli; at non potuère tam multi, locis tam dissiti, temporibus tam differentes, in vnum idemque mendacium, tanto tempore, & tam constanter conspirare. Humanum id non est; hinc illa testium coaceruatio, certitudinem mihi omnimodam, licet ex humanis moribus petitam, adeoque moralem adfert; neque vllam prorsus in me patitur residere falsi suspitionem.

Qua ratione vnum altero dici possit certius.

19. Fatendum est tamen certitudinem hanc suos habere gradus & differentias. Quas tamen ego non tam ex adhesionis modo, quàm ex rationum firmitate petendas esse credo. Sic certius dicitur, Romam fuisse aliquando, quàm Antuerpiam; non quidem quod alterum altero sit verius; veritas enim comparisonem non admittit. Quod est, est; & quod est, verum est. Esse autem, consistit in indiuisibili: itaque & verum. Sic igitur verò non datur verius. Ast hoc sensu vnum præ altero dici potest certius; quod nempe plures stent pro Româ testes quàm pro Antuerpiâ; atque adeò, minùs fieri possit, vt plures in vno conslando mendacio, quàm pauciores conuenerint.

Notamen inde semper est certior, qui credit id quod certius est.

20. Nihilominùs quamuis hoc modo dici possit vnum altero certius, tamen non est cur certior dici debeat qui credit Romam esse, quàm qui Antuerpiam. Certitudo enim est adhesio iudicii propositæ veritati firmiter & sine falsi suspitione insistentis. Si ergo intellectu testium multitudine conuictus prudenter assentitur & Romam esse & Antuerpiam, quid id refert an isthic quàm hic plures sint, modò vtròque sint qui sufficiant assensum elicere, & propo-

propositæ veritati quasi alligare? Sanè si vnâ ex parte decem funibus palo brachium affigatur, alterum verò quinque, quorum tamen vim superare nequeo, æquè hoc brachium adhæret palo, quàm quòd pluribus est constrictum. Verum quidem est, quod si de brachio liberando instituatur quæstio, difficilius esset decem, quàm quinque funium nexum soluere: sed hîc non de vinculorum excussione agimus, sed de brachiorum ad palum adhæsione instituitur comparatio. Hanc autem vtrobique parem esse nemo diffitebitur. Simili ergo modo, certitudinem, assero esse adhæsionem iudicij veritati propositæ insistentis. Si rationes eæ sint, quæ Intellectui prudenter agenti quasi vim inferant, assensumque extorqueant, certum tunc assero esse iudicantis intellectum; id est, veritati ita affixum & deuinctum, vt ab eâ ne suspicando quidem possit desciscere. Alterius autem veritatis plura quod sint argumenta, & quasi funes quibus intellectus deuincitur; hinc sanè non est quod huic magis adhærere dicendus sit, cùm de neutrâ aut dubitet, aut possit dubitare: istud tantùm dici posset, quòd si alterutra foret neganda, negaret illam. Verùm non hîc de negandâ veritate agimus, sed de certitudinis firmitate, & iudicij adhæsione: & quærebamus vtra major? vtramque igitur moralem certitudinem ex parte subjecti eandem esse existimo, vtrobique enim adhæret anima, eâ firmitate quam non superabit, si prudentiæ legibus velit insistere; licet ex parte objecti alia dari possit aliâ major.

21. Hisce præstitutis, veniamus nunc ad propositæ quæstionis disquisitionem. Petebatur autem, quæ, & quanta sit certitudo, quàm de relatâ à Deo peccatorum veniâ, ejusque amicitia seu statu gratiæ obtento, mortali homini Conscientia præstare possit. Discriminanda sunt imprimis à veris falsa, vt tota res pateat.

§. III.

Heretici docent neminem fidelem esse, qui non credit se in statu gratiæ esse certitudine quæ sit Fidei: adeoque hunc esse articulum Fidei. Horum error demonstratur.

Dabit mihi hanc Lector veniam, ut quid de peccatorum remissione, & de certitudine obtentæ gratiæ commentum sunt hæretici, in medium proferam. Non erit abs re hæc dissertatio; tum ut discussis errorum nebulis, manifeste or orthodoxa veritas emitescat; tum etiam ut qui hæc fortasse legerint Caluini erroribus implicati, attendant sedulo, quàm tremulo & exeso, salutis æternæ negotium, superstruant fundamento. Hanc enim quam expositurus sum sententiam, Lutheranæ Calvinianæque sectæ fundamentum & basim esse, cui tota religionis prætex incubit machina, fatetur Daniel Chamier, Caluini affecla & propugnator inter suos non ignobilis. Commentum sic se habet. Postquam multa garruere de peccati naturâ, quod statuunt numquam deleri, sed Christi justitiâ veluti pallio obtegi, Diuinisque oculis subtrahi quodammodo; saltem sic obtegitum peccatori non imputari; statuunt demum, remissionem peccatorum, non animi pœnitundine aut scelerum detestatione; sed solâ fide, seu fiducia filium Dei esse te, & de æternâ salute consequendâ securum, obtineri. Adeo ut idem prorsus sit apud heterodoxos, uti fatetur Chamierus, de remissione peccatorum, aut de salutis obtentæ certitudine disputare. Nam hoc ipso ex capite quod indubitanter credis filium Dei esse te, animumque ita obfirmas, ut certum indubitarumque esse statuas vitam æternam tibi concedendam, remittuntur tibi peccata tua; id est, non imputantur. Illa autem animi obfirmatio; seu certitudo (ut mentem hæreticorum benè percipias) debet esse tanta, ut certitudinem fidei attingat; adeo ut si non fide Diuinâ, sed humanâ tantum credas filium Dei esse te, verè fidelis non sis, nec veram fidem habeas, sed prorsus sis infidelis.

*Exponitur
hæreticorū
fides, aut
fauca,*

22.

Chamier.
to. 3. l. 13.
c. 1.

Ibid. c. 3.

Iuuerit

23. Iuuerit tam egregia figmenta, ex ipsis haurire fontibus, ne fortasse quis credat, hominibus, cæteroquin non indoctis, per contumeliam ea esse afficta. Imprimis Calvinus in Institutionibus, post multa, ita tandem statuit, & rem absoluit. *In summa inquit, verè fidelis non est, nisi solidâ persuasione Deum sibi beneuolum propitiumque Patrem esse persuasus, de eius benignitate omnia sibi pollicetur: nisi qui Diuinæ erga se beneuolentiæ promissionibus fretus, indubitata salutis expectationem præsumit.* Ast quàm indubitata est ista expectatio? sanè quam indubitata est diuina Fides; hæc enim te in *Fidelium* numero collocat. An ergo non sufficit fidelis vt sim, si cuncta quæ in Fidei symbolo continentur, Diuina credam mysteria? minimè inquit Beza, Christianam fidem sic non obtines. Et rationem dictis subiicit dignam se. *Habent enim, inquit, ipsi quoque Diaboli hanc fidem, & eo magis tremunt.* Tum mentem & suam & Caluini clarè edisserens, ita pergit: *Sed fidem appellamus, certam quandam scientiam, quam Spiritus Sanctus, suâ unâ gratiâ, ac bonitate magis, insculpsit cordibus electorum. Quâ scientiâ fit, vt eorum vnusquisque in suo corde certior electionis suæ factus, sibi ipsi applicet promissionem in Iesu Christo.*

Caluin.
Instit. l.3.
c.2.§.16.

Beza Con-
fess. c.4.
a.5.

& Beza.

Itaque prout audio, vt de Caluini sim sectariis, de nullâ re me conuenit esse sollicitum, nisi vt promissiones Christi factas vniuersim electis omnibus, mihi asseram aut applicem, & salua sunt omnia; de electorum numero sum, fidelis sum. Non igitur Fideles sumus & dicimur, tam quia credimus, quàm quia fidimus. Inaudita prorsus in Ecclesiâ est hæc locutio. Tamen per me licet, iis qui in sacra omnia sibi jus arrogant, demus etiam jus in nomina. Cæterùm, cum fide diuinâ credendum sit mihi, salutem æternam obtenturum me, seu quod ipsis idem est vt iam dixi, peccata mihi remitti aut non imputari, itaque id mihi est articulus Fidei. Hoc si ita sit, tam debet id mihi certum esse, neque minus dubitare possum de salute obtinendâ, quàm quòd filius Dei humanam Carnem assumpserit. Atqui quod Diuinâ Fide certum est, vti iam dixi num. 15. ita certum est, vt nequidem per potentiam diuinam absolutam possit vniquam falsum fieri: itaque dum semel hâc fiduciâ obfirmaui animum, & Christi promissiones mihi met ipsi applicui, certum jam est me salute non posse excidere: & quidem ita certum, vt ne per potentiam qui-

Refutatur
eorum sen-
tentia, pri-
mò ex duo-
bus absur-
dis.

Primum

Secundum.

A a a

dem

dem Dei absolutam id falsum possit reddi, aut ego condem-
nari: est enim Fides Diuina, quæ falli nunquam potest.
Rursus cum nullus sit articulus Fidei, pro quo tuendo non de-
beam mortem oppetere; etiam mihi subeunda est potius mors,
quàm vt ab abreptâ semel fiduciâ vel latum vnguem desciscam,
aut negem de salute æternâ certum esse me. Hæc quantumuis
absona sint, imò & de nugurum genere, fortassis Calvinistæ ad-
mittent non inuitè.

*Secundo,
hæc senten-
tia mani-
festè viam
aperit sce-
leribus.*

Istud tamen iis oggero etiam ingratiis, non esse quod clament
tantopere, calumniari Catholicos, dum obiiciunt, operum bono-
rum necessitatẽ eos prorsus destruere, sceleribusque latissimas
fores pandere. Sanè si hæc, quæ docent, vera sunt; si Fide Di-
uinâ ac proinde indubitâ, & quæ falli nullo modo potest, cre-
dere debeo in electorum me esse numero, ac propterea commis-
sa à me scelera mihi non imputari; profectò non video quid aut
perjuria, aut adulteria, aut homicidia, aut alia quæ carni & san-
guini grata sunt crimina, mihi vitanda sint tantopere: iis enim,
dum à me patrantur, Deus non succenset, nec irascitur. Ne-
que verò potest à me scelerum pœnas sumere, non tantum æ-
ternas, sed ne temporales quidem; eas enim si sumit, jam certè
peccata commissa mihi imputantur. Si autem imputantur; fide-
lis, & ex electorum numero non sum: quod tamen est impos-
sibile me non esse, cum Fide Diuinâ de salutis obtentæ fiduciâ
certus sim. Auertat à nobis propitius Deus fidem eiusmodi, quæ
plus nimio carnem redolet, ei dum abblanditur; & in omnem
insolentiam, viam sternit apertissimam.

*Tertiò hæ-
reticorum
sententia
sibi non
harant.*

Hæc tamen cursim dicta sint; aliàs explicatiùs ponderanda.
Sed videte obsecro, quàm malè sibi cohæreant Caluini dogma-
ta, totius inquam hæreticæ constructionis commissuræ. Si quan-
do Conciliorum auctoritatibus, aut veterum Traditionum san-
ctitate à Catholicis impetuntur, illico Sacras Paginas appellant.
Afferunt nihil omnino sanctum & de Fide Diuinâ esse quod iis
litteris non continetur; in iis omnia tradi scitu necessaria my-
steria: in iis quod non exprimitur, ad salutem non esse neces-
sarium: denique Sacras litteras claras esse & perspicuas, neque
vllius explicatione posse contaminari. Nihil ipsis ita in ore est,
nihil pro populo crepant eloquentiùs, dum respondendum est
Catholicis. Itaque sit ita vt volunt, nihil sanè Fide Diuinâ cre-
dendum

25.

26.

dendum sit, nisi quod expressis signatisque & claris omnino verbis, in Sacris Paginis Diuino testimonio credendum exponitur, Ita sit inquam. Hic stemus, hic conseramus manus: sed ne pedem retrahant, nec à se toties dicta reuocent, dum prementur.

27. Etenim, cum Calvinus & Beza, & verò tota passim hæreticorum classis asserat, vnumquemque de se debere credere, filium Dei esse se, electorum numero ascriptum; idque ad instar articuli Diuinâ Fide credendi, mordicè tenendum esse, fidelis ut quis sit: istud imprimis peto, an disertis verbis id in Sacrà paginâ vsquam expressum sit, Calvinum de numero electorum esse, & æternæ vitæ hæredem indubitatum? Si id sanctæ ferant litteræ, locum cede. Sin autem; quo pacto Fidei Diuinæ Caluino factum est articulus, id cuius in Sacrà Paginâ nulla est memoria, vestigium prorsus nullum? Atqui inquit Beza, Spiritus Sanctus Scripturarum auctor præcipuus, *id quoque suâ bonitate & gratiâ insculpsit cordibus electorum.* Benè tibi sit Beza cum tuo corde. Sacras paginas quæro, quibus id insculptum sit quod Fide Diuinâ credendum tibi esse dicis: & dum has quæro, tu mihi *cor tuum* porrigis, cui insculptum id sit. An ergo *tuum cor*, Diuinæ sunt Paginæ? atqui si credere debes Diuinâ Fide *quod tuo cordi* Spiritus Sanctus de tuâ electione insculpsit; fatère igitur aliquid esse articulum Fidei, seu Diuinâ credendum Fide, quod sacris tabulis non continetur. Non igitur ita clament posthac, nihil se præter Scripturas, dum de Fidei mysteriis agitur recipere, nec verò debere recipi: ecce enim fundamentalem sectæ suæ articulum, nimirum Filios Dei, electos esse se, vnusquisque de se debet credere; & tamen id, de eorum nemine, expressis verbis Paginæ Diuinæ tradunt.

28. Hic verò, malam causam non felicè propugnaturus, assurgit Chamierus. Et quidem præfidenter admodum asseuerat, claris omnino verbis à sacro Euangelio asseri, Calvinum, eique similes, de salute æternâ prorsus esse securos. Manifestum est enim inquit, id quod de toto dicitur genere, dici etiam de singulis qui sub eodem genere continentur: neque verò dici posse homines ratione esse præditos, quin id de Petro, qui nempe homo sit, particulatim etiam asseratur. Cum verò exquiritur, quo loco affirmant Sacræ paginæ, omnes omnino fideles, de salu-

Faciunt enim fidei articulum, id quod in Scripturis non ponitur expressis verbis.

Respondet Chamierus particularem propositionem contineri in vniuersali quæ in Scripturis exprimitur.

te æternâ certos esse; tum sanè istud ex D. Joannis Euangelio Joan. 5. v. 38. affertur, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.*

Vniuersalem de fidelium salute certò obtinendam propositionem, non habent S. scriptura.

Antequam argumenti vitium detegam, illud prius quæro; cur ex his similibusque locis non inferant, omnes Christi fideles quamuis corpori in hâc mortali vitâ inclusos, reipsâ tamen cælesti gloriæ interesse; non enim habituros eos aliquando, sed reuerâ habere vitam æternam Nicodemo testatur Christus. An autem cælesti gloriâ sese perfrui, dicent vel de acatissimi Calvinistæ? an vitam æternam sese habere credent ipsimet sibi? Habent, inquit Chamierus, sed in spe. Ain vero tu in spe? atqui nihil de spe hîc dicitur; Christus planè loquitur, neque de spe, vlla hîc fit mentio. Quod autem de spe interiicitur, illa quidem tua est, Chamiere textûs huius explicatio; explicationibus autem, vt vos vbique declamatis, Scripturæ non indigent; etenim humanis expositionibus dicitis eas conspurcari & infici, non declarari. Ut quid igitur mihi hîc spem obrudis tuo è cerebro? Nam quid si ego fideles asseram habere vitam æternam in radice; quòd nempe in Fide, vita æterna contineatur, sicut fructus in semine? quid si dicam, fideles habere vitam æternam in spe, sed non indubitâtâ qualem ponunt hæretici, sed tali quæ vitio hominis possit euerti, & à rei speratæ consecutione deiici; quid tu ad ista repones? expositiones forsitan humanas adferre me? Atqui & tuas censeo de hoc genere, nisi nos docueris esse Diuinas. Atque hinc conficio, ne id quidem generatim in Scripturis contineri clarè & apertè expressum, Fideles omnes de suâ salute aut statu Filiorum Dei obtento, certos debere esse & sécuros: quod tamen ipsi volunt. Neque video quâ fronte hoc dici possit, cum ex aduerso contraria omnia suis fidelibus D. Petrus inculcet. 2. Pet. 1. v. 10. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Ecce, non vocatos modò, sed electos Petrus alloquitur, certamque vult ab ipsis electionem fieri, bonorum operum exercitio. Non igitur adhuc de salute consequendam certi sunt, sic vt eâ non possint excidere. De salute ergo incertos Petrus alloquitur; & tamen alloquitur fideles. Non igitur fidelibus omnibus, ex eo solo capite fideles quòd sint, salutis certitudinem dant Scripturæ, quod tamen volebat Chamierus: nisi fortè, quod à me certò creditur, alterius farinae sint Calvinistæ, ab iis qui S. Petri lacte enutriti sunt Fideles.

imo contrarium asserit D. Petrus.

Demus

30.

Demus tamen vltro id quod petitur ; & verum sit , istud à Sa-
 cris paginis vniuersim asseri. Fideles omnes de vitâ æternâ peni-
 tus esse securos. Quid exinde bonæ rei conficiet Chamierus: an id
 etiam eo loco asseri, Caluinum aut Chamierum de salute æternâ
 reddi securos? Quis dubitat, inquis. Ego verò dubito: nam,
 quod tamen ad legitimam consecutionem educendam ex propo-
 sitione vniuersali est necessarium, nusquam in Scripturis dicitur
 Caluinum & Chamierum esse Fideles, & veram habere Fidem,
 ne illam quidem quam ipsi vocant Fiduciam salutis. Non igitur
 in Scripturâ loco, qui assereret vniuersim *Omnes omnino fideles*
certos esse de salute, adhuc quidquam haberetur de Caluino aut
 Chamiero; quandoquidem eos fideles esse, isthic disertè non ex-
 primitur. Verùm inquit Beza, *scientiam illam insculpsit Spiri-*
tus Sanctus cordibus electorum, esse nimirum fideles. Ita fit. I-
 gitur id saltem nunc est euidens, illam totius syllogismi partem
 quâ hæc res conficitur, & sine quâ tota vis argumenti corrui-
 t, Sacris Paginis non contineri. Hæc enim deberet esse argumen-
 ti forma. Sacræ litteræ docent omnes fideles securos esse de sa-
 lute, seu habere vitam æternam. Atqui Caluinum esse fidelem
 sacræ docent litteræ; ergo docent etiam Caluinum (& idem
 de omni fidei esto iudicium) securum esse de salute & habere vi-
 tam æternam. At quis non videt, falsum id esse, quod Calui-
 num, hominem fidelem esse Sacræ doceant litteræ? quinimo
 eam scientiam ex Spiritu Sancto hauriri docet Beza, vtpote qui
 id electorum cordibus inscripserit. Non igitur dicat Chamierus
 in vniuersali propositione, dici Caluinum, & se sui que similes
 à Scripturis de salute certos reddi; adeoque id singulis creden-
 dum tanquam Fidei articulum, quòd id de singulis Scripturâ
 asserant: nimis enim insulsa est hæc oratio, quam vt apud
 hominem argumentandi gnarum, fidem iaueniat. Deberet
 namque prius id etiam Scripturæ textu exprimi, Fidelem ef-
 fe te; adeoque testari sub Fidelium genere vniuerso, te contine-
 ri, antequam vniuersalis illa Scripturæ assertio, ex ipsâ Scriptu-
 ra per legitimam consequentiam ad te possit deriuari.

*Et ut uni-
 uersalis illa
 propositio in
 Scripturis
 haberetur.
 tamen sin-
 gulares ho-
 mines per-
 eam non
 ita expri-
 muntur, vt
 Scripturæ
 dici possint
 reuelasse
 singulis
 quod de
 salute sua
 certi sint.*

31.

Itaque vt paucis dicta complectar; assero nusquam in Scriptu-
 ris reuelatum esse Chamierum, aut quemuis particularem ho-
 minem certum de suâ salute esse. Nam quamuis asseruisset Deus,
 omnes fideles de eâ certos esse ac securos, non tamen id etiam

reuelauit in sacris litteris, hunc hominem Chamierum v. g. hominem verè fidelem esse; itaque Chamierus sibi persuadere non debet, certitudinem salutis suæ à Sacris sibi paginis reuelatam. Id ergo si Fide Diuinâ credit, credit sanè quod sanctæ littere nusquam tradunt: atque adeo credit, quòd Fide Diuinâ credendum non esse, hæcenus ad ratum vsque, heterodoxi declamarunt. Quod si autem id, jam rite facere se existimant, sanè posthac mihi non jaçtitent, totam doctrinæ suæ molem, Sacræ Scripturæ soli & puræ insistere; jam enim ostendimus præcipuum ipsorum dogma, quodque fundamentale vocat Chamierus, à Sacræ Scripturæ basi distare benè longo interuallo. Neque verò sententiam illam, seu certitudinem fanaticam ex iis quæ Deus per sacras paginas reuelauit, sed per particularem scientiam haberi fatetur Beza, imò & Calvinus ipse, quam quidem Spiritus Sanctus inculpsit, non sacris Bibliis sed *cordibus electorum*. Quo pacto igitur id in Sacris litteris vidit Chamierus, quod Calvinum fugit & Bezam? an Scripturæ jam clariore sunt, aut lapsu temporis plura pandunt? Et tamen tam apertas esse jaçtatis, vt à fœce populi possint intelligi; nullumque fidei atticulum esse, quem non aperte tradant. Miror sanè id in cordis sui latebris quæsiuisse Bezam, quod in Sacris litteris, omnium oculis apertum vidit Chamierus, & positum in propatulo.

*Chamierus
plura videt
in Scriptu-
ris, quàm
Calvinus
& Beza.*

*Quare,
cum ex
Caluina-
na salutis
obtinenda
c. virtutibus,
nemo, qui
eam ha-
buit, possit
excidere,*

*(quod qui-
dem proba-
tur ratio-
net*

*& ex Cal-
uino.)*

Jam verò, vt rem hanc altius promoueam, nonne non arbitrium tantummodò, sed & temerarium prorsus est, cum Caluino & Beza, salutis adeptæ securitatem sibi particulatim à Spiritu Sancto reuelatam esse asserere; eamque esse sine quâ nemo fidelis sit? Hæc enim si imbutus es scientiâ, sanè ne per Dei quidem potentiam absolutam, fieri potest, salute vt excidas. Manifestum id quidem est. Cum enim Spiritus Sanctus mentiri aut fallere nequeat, neque quod Fide Diuinâ creditur possit vllò vnquam tempore falsum fieri; profectò cum certum esse Spiritus Sanctus dixerit saluandum te, id necessariò fuit verum, totâque æternitate verum erit: fieri igitur nullo modo potest vt damneris. Nam si id fiat, falsum fuerit quod Spiritus Sanctus tibi reuelauit, quod tamen est contra hypothesim; ponebatur enim verum edixisse. Neque argumentis hoc magnopere urgendum jam est: fatetur enim Calvinus rem ita esse; docetque Fideles, non tantum de præsentis iustitiæ aut gratiæ statu certos esse,

32.

Calu. l. 3.
Inst. c. 2.
n. 40.

esse: sed & de finali perseverantiâ vt ipse loquitur. Ridenſque Ca-
tholicos, de gratiâ per coniecturas ſibi moralem certitudinem &
fiduciam aſtruentes: *Egregia enim verò, inquit, ſalutis fiducia no-
bis relinquitur, ſi ad præſens momentum nos eſſe in gratiâ, coniecturâ
morali æſtimamus, & quid in cræſtinum futurum ſit nescimus.* Vult
itaque Calvinus certitudinem gratiæ, non ad præſentem tantùm
vitæ ſtatum, ſed & ad perseverantiâ finalem, ſine vllâ dubita-
tione extendi: ac proinde qui ſemel gratiâ ſtatim obtinuit, ſeu
qui ſemel fidelis fuit, ab eo nullo euentu poſſe excidere, eſt ne-
ceſſe. Hoc ſi ita ſit; igitur qui ſemel momento vnico, fidem hæ-
buit Calvinianam, liberè poteſt non Catholicam tantummodo
amplecti religionem, ſed & Judaïſmum, imò & Mahumetanis
caſtris ſuccedere, ſine vllò fidei ſuæ, ſalutiſue præiudicio. Quid
enim? Calviniſta verus fuit; itaque & fidelis. Quod ſi fidelis
fuerit, certus itaque de ſalute fuit & quidem certitudine Fidei:
quæ quia non poteſt fieri falſa, fanè de ſalute numquam excidet.
Mahumeti igitur adhærebit ſine vllò ſalutis ſuæ detrimento. Imò
verò, ne cum Fidei quidem ſuæ præiudicio, Chriſtum ejurabit, &
ſacra omnia Religionis Chriſtianæ myſteria deteſtabitur. Nam
eùm certus ſit de ſalute obtinendâ, eaque non poſſit excidere,
profectò nec fide excidet; cum fides ipſorum ſit, de ſalute certum
eſſe. Et rurfus, cùm is qui de ſalute certus eſt certitudine Fidei,
neceſſariò etiam eam ſit adepturus, manifeſtum eſt ejuſmodi apo-
ſtatam, quantumvis deteſtandum, fidem non amiſiſſe; niſi quis
fateri velit, ſaluandum aliquem fidelis qui non ſit; quod ne ipſi
quidem Caluini dicent aſſeclæ. En vt ad omnem impietatem la-
tiſſima ſtrata eſt via.

*Hinc ſequi-
tur quod
omnis verè
fidelis poteſt
quocumque
religionem
mutare, ſi-
ne ſalutis,

aut etiam
Fidei ſuæ
præiudicio.*

33.

Hinc fanè miror ego, cur tanto pe conturbentur, in ſuis, vt
vocat, Claſſibus heterodoxi, ſi quando deſertis erroribus ad San-
ctæ Eccleſiæ Romanæ gremium quis conuolat; cur inquam eum
adeò deteſtentur, cœtibus ſuis arceant, & tantùm non diris de-
uoueant. Non inquam, fatiſ capio, quò hæc vergant. Nam aut
de eorum grege fuit, Calviniano modo fidelis, aut non fuit. Si
non fuit; vt quid adeò infeſtantur hominem, qui eorum juridi-
ctioni non ſubiacuit? aut cur per cenſuras, quaſi apoſtatam, ar-
cent à grege, cujus numquam fuit pars? Mahumetanis certè in-
ter ipſos verſantibus moleſtias non faceſcunt, infideles quamvis
ſint. Quòd ſi autem, is qui Catholicum ſeſe jam profiteretur, de
gregè

*Non debent
itaque Cal-
viniani eſſe
ſolliciti de
iſ: qui ab
ipſorum ſe-
clâ deciſi-
cunt.*

grege Caluini verè fuerit; sanè fidelis fuit; non enim hic cœtus, infideles suis, vti credo, annumerat. Si autem fidelem fuisse non negatis; profectò de salute æternâ certus fuit aliquando; atque adeò adhuc certum est, eum nec à vitâ æternâ, nec adeò à fide semel conceptâ posse deturbari. Itaque auctor ipsis sum, vt ne de oue quasi perditâ multùm sint solliciti; sinant illam agere res suas, & quæcumque demum Religionis Catholicæ castrâ peruagari: nam eo in statu est hæc ouicula, vt perdi vel perire non possit; aut si possit, tum sanè numquam de eorum grege ouis fuit: & sic nulla ipsis de eâ deinceps sit curatio: ibit illa vias non malas, & pascua felicia inueniet.

Quintò si
vera est
hæreticorū
sententia,
nemo dam-
natus vni-
quam fide-
lis fuit.

Non lubet Calvinianæ huic fiducia & confictæ certitudini re-
futandæ diutiùs inhære. Istud tamen adijciendum est; ea sen-
tentia si vera sit, neminem vllum fidelem æternis ignibus esse ad-
dictum. Quod alijs verbis dicitur clariùs: neminem eorum qui
damnati sunt, vniquam fuisse fidelem. Teneatur res. Cùm enim
reipsâ, æterna jam supplicia sustineat, numquam profectò verum
fuit, non condemnandum hunc hominem. Quod si id numquam
verum fuit, numquam etiam de salute consequendâ certus esse
potuit. Atqui vti suprâ à Caluino traditum vidimus: *Verè fidelis
non est nisi qui solidâ persuasionem . . . indubitatam salutis expecta-
tionem præsumit*; & de eâ, certitudine fidei cui falsum subesse non
potest, certus sit: igitur cùm damnatos eâ fide, fiducia, aut cer-
titudine obfirmatos fuisse sit impossibile; planum jam est, ex dam-
natis neminem vniquam fuisse fidelem. Quis autem hoc sanus
dixerit? quis eiusmodi commenta, vel per somnium in Ecclesiâ
efformauit? Pluribus possem figmentum istud insectari. Istud
tantùm illi refellendo dicam; exinde sequi, proditorem Sangui-
nis iusti Judam, numquam fuisse fidelem: etenim æternâ salute
excidit. Et tamen Matthæi 10. ab ipso Christo in Apostolum est
electus versu 4. Ad prædicandam Euangelij veritatem missus est
versu 6. *Ite ad oues quæ perierunt domus Israël . . .* Miraculo-
rum gratiâ est insignitus versu 8. *Infirmos curate, mortuos susci-
tate, leprosos mundate, dæmones eicite.* Versu 25. Discipulum eum
Christus nominat. Versu 16. ouis titulo condecorat. Denique
vt plura omittam versu 40. testatur Christus de Apostolis, inter
quos Judas, *qui recipit vos me recipit.* An ergo infidelis, Aposto-
litus munere fungitur? an ouis dici potest & discipulus, qui fidè
prorsus

34.

Vti nec lu-
dai quan-
tumuis fue-
rit Aposto-
lus & ouis
Christi.

Matt. 10.
v. 4.

prorsus caret? an Christum recipere dicendus est is, eum dum recipit qui Christianâ fide est destitutus? Quid ad hæc respon-
suri sint heretodoxi, nescio. Judam fortasse, præter mentem to-
tius Ecclesiæ inferno eximent & cælo inserent: nam facile di-
cent, Judæ, utpotè fideli, tam horrendum crimen non fuisse à
Deo imputatum. Denique procliue erit fingere proditorem, dum
desperasse visus est, per fidem in patibulo salutis suæ securum ad-
modum, triumphasse: iis, inquam, procliue erit id fingere, quos
eò impudentiæ auexit furor, ut non exhorreant ore blasphemò
conuitiari, & deblaterare, Dominum proditoris, Jesum Chri-
stum, pro alienâ morientem, de salute suâ in Crucis patibulo
desperasse.

35.

Sed satis sit. Sufficit hæreticorum ineptias detexisse, ut homo
prudens & consultus eas detestetur. Detestata est sanè sententiam
hanc Ecclesia in Tridentino Concilio congregata; eique tandem
dixit anathema. Ita habet. *Si quis dixerit omni homini ad remissio-
nem peccatorum consequendam, necessarium esse ut credat certò &
absque ullâ hesitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata
esse remissa, anathema sit.* Quò quidem Canone non perstringun-
tur ii, qui bonâ fide peccata confessi, & munere pœnitentis ritè
perfuncti, peccata per Dei misericordiam, Sacerdotisque absolu-
tionem certitudine morali sibi credunt esse condonata; sed hæ-
reticorum error configitur, contententium non alio modo impe-
trari scelerum gratiam, quam præsumptâ, ut Calvinus loquitur,
salutis expectatione, cui scelerum omnium debita sit condonatio
& indemnitas. Et hanc esse mentem huius Canonis, tum verba
fatis indicant, tum sequens Canon liquidissimè confirmat. Ita fert.
*Si quis dixerit hominem à peccatis absolui ac justificari ex eo quod se
absolui ac justificari certò credat: aut neminem verè esse justificatum,
nisi qui credat se esse justificatû; & hæc solâ fide absolutionem & ju-
stificationè percipi, anathema sit.* Nihil addo Sacro-sancto Canoni.
Miror tantum præposteram hæreticorum fiduciam, & D. Joanni
planè contrariam. Ita enim de se loquitur Apostolus. *Charissimi si
cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Prius
ergo statuit Apostolus, non reprehendi à Conscientiâ, siue sceleris
conscium non esse se, ut exinde in fiduciam consequendæ salutis
meritò erigatur. At heretodoxi contrariâ insistent viâ, fiduciam-
que præsumendam esse statuunt, ut eâ muniti, Conscientiæ repre-

*Sextò dam-
natur hæ-
reticorum
fiducia &
certitudo
salutis à
Tridentino.*

Trid. sess.
6. cap. 13.

ibid can.
14.

1. Ioan. 3.
7. 21.

*Hæretici
insistent
fiduciam
quam de
sua salute
habes D.
Ioannes.*

hensionem euadant; aut etiam certitudine salutis ob os objectâ, vocem Conscientiæ scelera castigantis intercipient. Inuersum itaque habemus Euangelium, & reformatum: nam si cor Joannis eum non reprehenderit, tum demum asserit *fiduciam se habiturum ad Deum*. Errauit hinc Joannes per hysteron proteron: inuertenda est hæc sententia; dicere debuerat: *Si fiduciam habemus ad Deum, cor nostrum non reprehendet nos*. Ita me Deus amet; nunc tandem intelligo penitus, cur sese nouatores hodierni Reformatores appellarint.

§. IV.

Exponitur Catholica de certitudine peccati remissi, seu Status gratiæ obtenti, sententia. Item quam securitatem moralis certitudo, in hac materiâ, menti afferat.

*Certitudo
de obtentiâ
gratiæ, non
est Fidei.*

ERrorum discussâ caligine, facile jam sese veritas aperiet, vultusque placidos explicabit. Dico igitur *imprimis* constare, certitudinem eam quam post omnia pœnitentiæ exacta officia, de condonatione peccatorum, ac proinde de Gratia obtentâ statu, in hac mortali vitâ passim habemus, non esse Fidei, prout statuunt heterodoxi; id est, non esse talem quæ rationibus ijs sit suffulta, vt ne ex Dei quidem potentiâ absolutâ, possint esse falsæ; prout est certitudo, quæ Diuinæ reuelationi clarè cognitæ innititur. Sic ergo, quidquid egero, non adeò certus sum gratiam à Deo obtinuisse me, quàm quòd Filius Dei Humanam Carnem assumpserit: hæc enim certitudo, ex rationibus enascitur, quas ne quidem Deus ipse falsas possit reddere: talis autem naturæ non sunt, quæ mihi de obtentâ gratiâ securitatem astruunt. Clarissima est hæc Tridentini Concilij sententia, quâ controuersia tota deceditur. Ita grauiissimis verbis rem definit. *Sicut nemo pius de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum suamque propriam indispositionem & infirmitatem respicit, de suâ gratiâ formidare & timere potest. Cùm nullus scire valeat certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*. Sic prorsus est: nam etiam si fide Diuinâ certum sit, eum qui debitâ contritione peccata detestatur,

36.

Trid. sess.
6. c. 9.

statu, & legitimâ præparatione animi, scelera confitetur, immunitatem omnium consequi, & filiorum Dei numero adscribi: tamen certitudine Fidei mihi non constat, an contritio perfecta fuerit, & an reliqua quæ ad Confessionem legitimam requiruntur, ritè sint exhibita. Id est, vt alijs verbis rem exponam, nullâ reuelatione, neque quæ per Sacram paginam, neque quæ vlli hominum particulatim sit exposita, mihi à Deo denuntiatum est, omnia condonationi necessaria, à me eliciendæ Diuinæ gratiæ fuisse præmissa. Hinc impossibile non est falli me: atque adeò gratiæ impetratæ securitatem non habeo, quam daret certitudo Fidei. Et hæc propositio est de Fide, vtpote à Tridentino grauissimè definita.

37. *Secundò*, manifestum est etiam certitudinem quâ gaudemus non esse Physicam, id est, eam quæ ex naturæ congenitis proprietatibus elicitur, & quas num. 16. diximus sine miraculo à Deo non suspendi aut interuerti. Sic non tam certus sum de gratiâ obtentâ, quàm ab igne admotam manum adurendam, aut lapidem grauitate suâ descensurum si naturæ suæ relinquatur. Nam quamuis istis contraria possint accidere, Deo concursum ordinarium naturæ subtrahente; tamen id sine euidenti prodigio non eueniet. At verò nullum esset miraculum, id est, nihil fieret naturæ cursui contrarium, nullaque eius proprietas sufflaminaretur, si dum omnia ad justificationem requisita exegisse me existimo, nihilominus opinione meâ fallerer.

Neque est certitudo physica

38. *Tertiò*, itaque dico cum Suarez, certitudinem quam mortales homines de statu gratiæ obtento habere possumus, præter eam quam reuelatio Diuina hominibus virtute perfectis pro suâ beneuolentiâ nonnumquam dat, moralem esse certitudinem: id est eam, quæ talibus innixa est rationibus, vt quamuis absolutè possint fallere, passim verò & ordinariè eius sint generis vt non fallant. Itaque si rationes, præsertim singulas, particulatim & metaphysicè aut etiam physicè vis discutere; tales certè sunt quæ falsitatis aliquam suspicionem ingenerare possint; sed si morali, id est, prudenti iudicio perpendantur, eas inuenies esse, cui tutò possis acquiescere, sine vllâ vltioris indagacionis aut examinis obligatione. Quod tum maiorem locum habet, dum plures, ad veritatem rei confirmandam, rationes simul conspirant.

sed moralis

Suar. to. 3.
de grat. l.
9. c. 11. n. 10

Hæc certitudo tanta esse potest, ut tollat omnem falsi suspensionem.

Et hæc quidem tot esse possunt ac tantæ, ut iis non solum possis, sed secundum prudentiæ regulas, etiam debeas plenam omnino fidem dare: sic ut ambigere eo in euentu, non tam sit rationes inuestigare, quam ineptire. Etenim an quisquam nostrum dubitat Nortlinganâ pugnâ præclarissimam à duobus Ferdinandis de Sueco relatam esse victoriam? An quisquam in dubium sanus reuocet, Valencenas felici prælio, Gallorum obsidione liberatas? quis inquam, de historiæ tam assertæ veritate, suspensionem mouet vel minimam? Et tamen si singula perscruteris quæ fidem fecerunt, ea esse comperies, quæ sine vlllo miraculo, aut naturæ defectione potuerunt non esse, atque adeo & fallere. Etenim potuit fieri ut numquam fuerit Nortlinga aut Valencenæ: potuere numquam extitisse Ferdinandi aut hostes, quos credimus debellatos; potuerunt singulæ, quæ victoriam propalarunt, fictæ esse litteræ, historiæ possunt esse mendaces, mendacique conuincuntur quàm plurimæ. Et tamen de totâ re nemo jam dubitat, nemo falsi suspensionem tangitur, omnes de his similibusque euentibus, certos se esse asserunt: & aut peregrinum hominem rerumque nostrarum ignarum penitus, aut cœtè emoti cerebri iudicarem eum esse, qui rei certissimæ, dubitationis nœuum, nimiam indagandi curâ, conaretur affricare: non enim in rebus quæ mores hominum concernunt, demonstratione Mathematicâ, sed prudenti humanoque iudicio ponderanda est veritas; ac denique elicienda est certitudo.

Certitudo moralis gratia obiecta, tollit omnem ætalem formidinem de op. posito:

Ita prorsus, quamuis fatear rationes quæ pœnitentem de obiectâ peccatorum veniâ, & quemuis hominem defelicissimo Gratiæ statu securum reddunt, esse eiusmodi, ut ad Matheseos, Metaphysicæque rigorem expensæ, dubitationis aliquid possint afferre; ac sic de rei veritate absolutè quis *posset* Mathematicè aut Metaphysicè dubitare; tamen tales quoque sunt, ut moraliter, id est, prudenter dubitare quis non *debeat*: imo nonnumquam tot ac tantæ, ut ne quidem ambigere prudenter *possit*: non enim prudenter agere censendus est, qui humani moris metas atque ordinem prætergreditur. Animaduertenda est itaque sedulò, ut res hæc percipiatur penitiùs, Tridentini quam num. 46. attulissententia. Asserit enim *quemlibet dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratiâ formidare & timere posse*, non tamen docet Concilium, formidare & timere quod

quòd debeat. Formidare quilibet quod possit, ex eo capite probat quòd numquam tanta sit certitudo, vt Fidei diuinæ certitudinem attingat, cui numquam potest subesse falsum. Nihilominus tamen inquit celeberrimus ille Theologus Franciscus Suarez, *addendum est, tantam esse posse hanc certitudinem, vt regulariter ac moraliter excludat actualem formidinem. Hoc bene notauit Valentia & sequitur Vasquez, & declaratur ac probatur. Nam aliud est non posse formidare, quod in priori dicto (scilicet dum quæreretur an certitudo hæc sit Fidei) negamus; aliud non formidare; quod nunc affirmamus. Nam formidare actu, non est necessitatis, sed libertatis: & ideo licet quis possit formidare, nihilominus potest etiam non formidare, & ita assentiri absque euidentiâ, sine actuali formidine. Ita summus ille Theologus sanè peracurè.*

Suar. ibid.
n. 10.

41. Jam verò quia actualis illa formido excludi potest, per solam opinantis & salutis suæ certitudinem sibi afferentis perniciam; per quam fit vt nolit de gratiâ obtentâ formidare, quamuis securitatis suæ rationes solidas afferre non possit; quæ quidem certitudo ex ipso subjecto oritur, quam supra num. 12. 13. diximus, non tam certitudinem esse, quam aut affectionem animi peruersam, aut intellectûs ignorantiam, aut proteruiam voluntatis: tamen vt rectè pergit Suarez, *Alio modo contingit non formidare actu; ex efficaciâ motiuorum que valde determinant intellectum, & ita pacificant mentem, vt moraliter ac frequentius excludant actualem considerationem de possibilitate falsitatis; & ideo regulariter, & sine temeritate excludat actualem formidinem. Sic rationes quibus inductus Norlinganam victoriam credidi, eius sunt naturæ, vt ne in mentem quidem veniat, eas iterum ad examen esse reuocandas, aut quidquam iis fidei detrahendum. Et hoc modo dicimus, inquit Suarez, posse certitudinem Gratie, actualem formidinem excludere, idque persuadent ea quæ s. sequenti dicturus sum. Sufficit enim ostendisse modò, certitudinem moralem de gratiâ obtentâ dari posse; & eam quidem, quæ formidinem falsitatis penitus omnem, è mente expellat.*

neque tollitur ex imperio voluntatis

Suar. ibid.

sed ex efficacia motiuorum.

42. Quòd si denique quanta sit hæc certitudo exquiris, respondeo eam esse cui planè possis acquiescere, & quam rebus agentibus sine temeritate vllâ, liberè prudenterque possis adhibere. Sic ergo, & pro remissis peccatis, & pro gratiâ seu statu Filiorum Dei obtento, indubitanter & sine hæsitatione, Deo immen-

Certitudo hac permittit omnes actiones quæ sunt status gratiæ.

fas gratias agere : rursus , quasi qui in amicitiam Dei intimam admissus jam sis , familiariter cum Deo colloqui , tuasque & amicorum miseras exponere , novos item fauores exorare iis fretus quos jam accepisti : rursus Sacramenta quæ statum gratiæ prærequirunt , sine vllâ cunctatione adire ; denique ea agere tibi est licitum , quæcumque statui Filiorum Dei tam excelso & præclaro , ab amico Numine permittuntur. Quid vltra in hac mortali vitâ exposcimus ? aut in quos vsus majori certitudine , quæ ad praxim nihil conferet , indigemus ?

*Tam certus
potest quis
esse sibi
condonata
peccata,
quàm cer-
tus est se
baptiza-
tum aut
ordinatum
Sacerdo-
tem.*

Quod si tamen mensuram aliquam huius certitudinis impertune exquiris , dicam cum Suare. *Valdè probabile censeo* , inquit , *posse aliquem justum ad illum statum virtutis ascendere , in quo non minus certò credat remissa sibi esse peccata actualia ; quàm originale : seu non minus certò credat aliquam Sacramentalem absolutionem v validam in se fuisse & habuisse effectum , quàm baptismum vel Ordinationem.* Si ergo tam securus esse possit pœnitens de statu gratiæ recuperato , quàm baptizatum se esse , aut si Sacerdos sit , legitime sacro Ordine initiatum ; non video quid requirendum sit vterius. Tam enim indubitatim præ se potest ferre , Filium Dei esse se , eaque quæ statûs huius sunt agere , quàm baptizatus quispiam gloriari se Christianum esse , illudque publicè profiteri ; & quàm Sacerdos potest sacra celebrare , & quæ dignitati illi singularia sunt munia exercere , honoresque sibi collatos acceptare , iisque sine vllâ iniustitiæ suspitione frui. Atque hæc de certitudine , quæ pœnitentem Gratiæ adeptæ securum reddit , dicta sint. Videamus nunc quæ tandem sint rationes , aut vt vocant motiua , quæ certitudinem tam felicem , de suo statu ambigenti animæ solita sint conferre.

43.

ibid n. 11.

S. V.

Enumerantur rationes & signa ex quibus certitudo moralis gratiæ obtentæ elicitur; & mens de suo statu confirmatur. Ostenditur autem ea potissimum ex Conscientiæ testimonio esse petenda. Respondetur item ad quasdam dubitationes ex certitudine Absolutionis, Confessionis & Contritionis emergentes.

44. **N**Olo jam multis contendere vt ostendam, supremam quandam Conscientiæ auctoritatem à Deo esse attributam, cui dum mens sincerè acquiescit, nequidquam de Dei voluntate exequendâ est sollicita, cum alia non sit voluntas Dei, quam quæ tibi à Conscientiâ exhibetur. Jam dudum ista exposuimus: vti & Conscientiam Deo à secretis esse; ab eâ exquirendum, si scire desideras quo loco apud Deum sint res tuæ: denique Conscientiæ standum testimonio, eique acquiescendum penitus. Neque verò timendum est, ne fortasse mentiatur; id enim non videretur posse fieri, sibi mentiri vt queat. Possentne enim iudicare quis, se nihil quidquam iudicare, cum reipsâ iudicat? Minimè inquis. Atqui testimonium Conscientiæ, vti diximus, actus est iudicantis animæ: & mentiri Conscientiam, non est falsum de rebus ferre iudicium, sed dicere sibi se iudicare quod non iudicet. Hoc autem sibi dicere mens non potest; iudicaret enim se non iudicare dum iudicat; & sic ferret iudicium de eâdem re & non ferret. Quæ duo, vni actui vnam eandemque rem pertractanti, non competunt. Sibi ergo mentiri non potest Conscientiâ, nec sese fallere: id enim quod verè sincerèque de te iudicat, id verè es. Et si non sis, aut potius si non fueris, ita tamen deinceps à Deo reputaberis. Testimonium igitur Conscientiæ si sincerum est, semper verum est: & si sincerum non est, Conscientiæ profectò non est, vti fusè Tractatu 2. sumus hanc rem persecuti.

Conscientia sibi ipsi mentiri non potest.

45. A Conscientiæ itaque testimonio petenda cum sint felicitis in-felicisue statûs, victoriæ inquam à Dæmone relatæ cladisue ac-ceptæ

Vox Conscientiæ gratiam

acceptam
nuntiant is
à multis
non intelli-
gunt.

ceptæ nuntia, non erit abs re indagare quibus modis Conscientia rei bene actæ testimonium ferat, illudque variè confirmet ac stabiliat. Sanè Conscientia mentem suam sat clarè enuntiat, & cuique in quo statu res sint animæ, aperte declarat: sed prout homines hâc de re video admodum sollicitos, vehementer suspicor Conscientiæ testantis voces non intelligi, aut fidem non inuenire. Explicandæ sunt igitur, ne fortè negligentur.

Prima vox
Conscientia
statum gra-
tis nuntiantis,
præ-
sens peccati
horror.

Primo enim an non testatur tibi Conscientia; id est, an non sincere iudicas abominari te quæcumque scelera; atque animo sic constitutum te, ut mortem potius stes oppetere, quàm lethali injuria Deum offendere? hoc si Conscientia attestetur, sine dubio inquit Basilus ut supra num. 5. exposuimus, *credat se liberum esse à peccatis*. Quis id asserit? ea ipsa quæ tibi non adherere cor prauum, fidem facit Conscientia. *Non dubitet sibi adesse Deum, qui timet & cauet mortalia*, inquit spiritualium rerum expertissimus Taulerus.

46.

Secunda
vox præ-
victorum
scelerum
sincera
Confessio.

Secundo, an Conscientiæ testimonio tibi non constat, vetera à te commissa scelera detestari te? an non asserit bonâ fide examinata, discussa, confessâ omnia? an quidquam eorum, sponte & ex condicto, inuolutum est silentio? denique an alicuius tecti criminis reum, reprehendit nunc Conscientia? Si tacet, si pacatè agit, sanè bona nuntiat. *Charissimi, si non reprehendit nos cor nostrum, fiduciam habemus ad Deum*, inquit D. Joannes. Reuelationibus Diuinis gauisus est Joannes; ab iis tamen fiduciæ suæ securitatem cum non peteret, non dubitat eam Conscientiæ sese non reprehendentis testimonio concredere, & viuere securus sui.

47.

Taulerus
apud Blo-
sum de
Consol.
puffillam,
c. 19. §. 2.

1. Ioan. 3.
v. 23.

Tertia vox,
diurna
à mortali
peccato ab-
sinentia.

Tertiò, an non etiam fidem facit, te multo jam tempore, mensibus nempe aliquot, innocentem vitam duxisse, sic ut nullo mortali scelere te contaminaris? venialia verò si quando committis, an non aliquo, non importuno tamen, tædio afficeris, quò quidem quietem tibi interturbari persentiscis, nec animo tranquille esse; donec aut Contritione, aut exomologesi, offenso Deo satisfeceris? hæc si ita sint, clariora longè habes argumenta, quibus acquiescas: confirmatoriæ sunt hæc litteræ & maximè authenticiæ. *Da mihi animam*, inquit D. Bernardus, *cui viuere Christus non tantum sit, sed & jam diu fuit . . . non ambigo sponsum adesse*. En quàm constanter id asseueret Sanctus Pa-

48.

D. Bern.
serm. 69.
in Cant.
ter,

ter, quod propriâ jam dudum experientiâ didicerat. Præclarissimum enimvero, tam diuturna à mortalibus peccatis abstinentia, amicitia Diuinæ jam obtentæ, est indicium: neque enim tam ingentes singularesque gratiæ, quibus ad euitanda tanto tempore lethalia crimina mortalis indiget imbecillitas, facile dantur ei, qui inimicus est Dei; neque tam eximij fauores, amicitia veræ sÿm bola, hostibus conceduntur.

49. Quartò, an non singulari jam Deum amore complecteris? an non ei supremam illam quâ gaudet, quæque perfectionem omnem in se includit, Diuinitatem, beneuolo animo gratularis? an non ei de gaudio quo semper fruitur applaudis? an non, quod verè amicorum est, optas inter homines famam & nomen tam amici Dei promoueri; & singulari etiam lætitiâ ipsemet afficeris, dum magna aliqua, reuerentiæ ipsi debitæ, facta est accessio? Hos sanè si in te sinceri amoris motus percipis, minimè dubium est à Deo amari te. Quid autem est sic amari, quàm statum gratiæ seu amicitia Diuinæ attigisse? Neque fallaciam hîc aliquam reformida, inquit Bernardus, nam Christo desponsa anima *non dubitat se amari, que amat*. Verùm, amabo te Bernarde (video enim te tuos amores in sponsâ describere) an aliqua forsan amoris reciproci, per reuelationem, tibi data est securitas? Minimè inquit: quidquid scio, Conscientiæ testimonio didici: testator illa me amare. Quid deinde? igitur & amari. En mellisui Bernardi verba: *Non timeo quia amo. Nihil dilecte timendum: timeant qui non amant. Quid ni enim assidue inimicitias suspicentur? Ego verò amans, amari me dubitare non possum, non plus quàm amare; nec possum vereri vultum, cuius sentio affectum*. Non poterat Bernardus magis apta proferre, aut quæ magis sint ex genio amoris, id est ex naturâ amantis Dei. Si enim amoris reciproci incitamentum est amor amato impensus; an ab homine se superari amore patietur is, qui amoris omnis auctor est & origo? an qui auersum à se peccatorem non est auersatus, redeuntem jam repellet? amat peccator; & oderit amantem Deus? Quasi verò Amoris leges ignoraret is, qui totus amor est. Quasi verò, inquam, humanitatem omnem exuisset is, qui humanam Carnem induit, tantùm vt esset humanus. Non dubiter ergo se amari, qui amat. Aut si dubitat, nescit profectò amare quid sit. Nouit id Bernardus, & amore suo se inuoluens, amore fruitur, & deli-

Quarta
vox, actua-
lis amor
Dei.

D. Bern.
sup.

C c c c

ciis

ciis perfluit innocentissimis.

*Quinta
vox mentis
serenitas &
gaudium
subsequens
Confessione
vel Contri-
tionem.*

Deliciarum verò mentionem cum fecerim; an non aliquando, dum è Sacro Tribunali, Confessione, vt tibi videbatur, fide optimâ ritè peractâ egrediebare, animum sensisti, gaudium quodam, voluptateque insolitâ demulceri? an non exilire tibi cor, mentem serenari, depulsiisque terroribus malaciam optatissimam turbato animo expertus es redire? Expertus si es, certè gratulor; reconciliationis cum Deo initæ, non quidem necessaria, sed dum obueniunt, certissima hæc sunt argumenta. Ita certè Tridentinum statuit: *Sandè verò res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo; quam interdum in viris pijs, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientie pax, ac serenitas, cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.* Hæc verò si in te perfensisti, quid adhuc de reconciliatione obtentâ dubitas, dum fructus ipsos percipis, qui à tali tantummodò radice possunt effluere & enasci?

50.

Trid. sess.
14. c. 3.

Necdum tamen tam claris obtentæ gratiæ argumentis vti video, acquiescis; caput moues: & vt omnia quæ hîc attulimus vera sint, inquires, semper tamen incertus hæreo, an Confessionem ritè instituerim, an actum veræ Contritionis elicuerim, denique an Absolutio à Sacerdote legitimè sit impensa. Benè est; nodum, in scirpo quæris, & in Sole maculas: statutum est, inquam tibi de re clarissimâ dubitare. Vt tamèn scrupulum omnem eximam, ab Absolutione incipio. Potuisset illa, illegitimè fuisse collata, aut jurisdictionis, aut bonæ mentis, seu intentionis defectu. Fateor, sic est. Audi nunc sapientissimum Franciscum Suarem. *Si quis in decursu longi temporis, varijs multisque Sacerdotibus confessus est; & de nullo illorum habet rationem vel occasionem suspicandi, vel quoddam ritè ordinatus non sit, vel quoddam intentionem absoluedi non habuerit: tunc licet generatim loquendo, in vno vel alio possit defectus seu deceptio timeri; tamen moraliter videtur impossibile, quoddam inter tot ministros, nullus fuerit & verus Sacerdos, & fidelis in ministrando.* Ita visum est Suarezio, & omni prudenti homini sic videbitur. Quid deinde inquires? Dicam. Quoddam si aut jurisdictionis aut bonæ voluntatis defectu, illegitima fortasse fuerit aliqua Absolutio; per primam quæ deinde tibi impensa est legitimè, omnia quæ illegitimæ Confessionibus de factu iudicis non sunt condonata.

51.

Suar. sup.
n. 7.

*Responde-
tur ad ob-
iectionem
petitam ex
defectu ju-
risdictionis
aut inten-
tionis Sa-
cerdotis ab-
soluentis.*

*Quæcumque
bona Absol-
utio, delet
omnia pec-
cata, quæ in
precedenti-
bus Confes-
sionibus de-
fectu iudicis
non sunt
condonata.*

Quid hîc jam
dices?

dices: aut imprudenti hæsitati tuæ quid prætendes? Dic sanè ne pergas imprudenter agere, Sacerdotes omnino omnes, ex condicto conspirasse, vt te vnum non absoluerent. Hoc inquam apud te statue, & si potes risum tene.

52. At verò, inquires, forsitan non omnia à me commissa crimina exposui. Antiquum obtines; pergis tibi esse importunus. Dudum ad hæc respondi: breuibus aliqua repeto, quod hic locus exigat. An sponte aliquid reticuiisti? Minimè inquires; fassus sum quæ sciebam scelera: sed postea occurrit nouum. Benè est; occurrerit. At verò, an certò tibi constat, id Clauibus non subjectum, seu non confessum te? Si ita sit, illud nunc confitere, & salua sunt omnia. An reliqua sunt reiteranda, & noua instituenda Confessio? Minimè gentium: effectum sortita est prima Absolutio, & quæ prolata sunt crimina condonauit; quæ verò bonâ fide ommissa fuerant, secunda eluit. Quòd si autem tantum dubitas an ea quæ modò occurrunt confessus sis, neque certò potes iudicare, an sponte à te fuerint prætermissa; certò & indubitatim statue, ea te legitimè exposuisse Sacerdoti. Tam enim Christianus fuisti à viginti annis quàm sis modò; & tam sedulò tibi confitenti erat propositum, Deo & Conscientiæ satisfacere, quàm sit modò. Ecur igitur quæso te sacrilegij jam condemnas? aut quod tibi jus in te est, iudicandi te fuisse sacrilegum, ijs de causis, ob quas id de alio, sine temeritate ne quidem posses suspicari? Acquieuit olim Confessioni tuæ Conscientia; sententiam pro te dedit, dum res ferebat, & causa cum circumstantijs omnibus recenter proposita id exigebat: multa nunc memoriæ exciderunt ad rem decernendam quæ facerent. itaque supersedendum est nouo iudicio, & veteri sententiæ acquiescendum est omnino. Scis te confessum; dubitas an sincerè, & validè: itaque dubitationem excute, & dic, quod à te factum est, factum benè. Nam vt prudenter iuris Glossa: *Si constet aliquem actum interuenisse, potius est vt validus quàm vt irritus pronuntietur.* Inualida autem esset Confessio, cuius integritati, peruersa voluntas quidquam suâ sponte detra-xisset. En rursus dubitationes omnes quæ ex Confessione obuoluebantur, penitus decifas & complanatas.

Respondetur ad defectum quòd timetur in Confessione irrepisse.

Si dubitas an benè sis confessus, statim certò, benè confessum te.

Glossa l. de contrahendo r. de Reg. Iuris.

53. Non tamen complanata sunt omnia inquires: de Contritionis enim, aut etiam Attritionis actu, numquam possum certus esse, supernaturalis cum sit; atque adeò non tantum à solâ naturâ excitari

Moraliter fieri non potest, vt qui multos

*Charitatis
aut Attritionis
actus conatus est
excitare,
nullū unquam
bonū elicitur.*

citari nequeat, sed nec percipi quidem aut intelligi, is qui elicitur supernaturalis an sit. Atqui si supernaturalis non est, nulla datur pœnitenti gratia. Quam ergo mihi certitudinem de obtentâ veniâ possum asserere, qui securus esse non possum, de posito veniâ fundamento? Videtur hæc ratiocinatio ignauæ aliquorum diffidentia, aliquantulum patrocinari. Sed respondeo non difficilius argumentum hoc dissolui, quàm quòd num. 51. de Sacerdotis absoluentis dubiâ jurisdictione proponebatur. Quamuis enim in singulis actibus Contritionis elicitæ, fatear relinqui dubium, an debitam perfectionem attigerit; hoc certè, an inter multos, quos citra controuersiam exercueris, semper acciderit, sic vt numquam legitimus Contritionis actus vllus sit elicitus, non potest prudenter dubitari. Etenim mihi facillè fateberis, sapius deinde, aut in Confessionibus, aut in adeundâ Sacrà Synaxi, aut in precibus familiaribus cum Deo dum agis, aut dum cubitum concedis, aut dum pro recepto beneficio perfoluis gratias, aut Diuinæ bonitatis memoria dum recurrit, inter dulcia suspiria pœnituisse te tantam bonitatem quod offenderis; aut etiam ad excitandum Dei tam boni & super omnia diligendi amorem, fuisse enifum. Hoc si ira est, en rursus Suarezium, dubitationem omnem argumentumque propositum dissoluentem. *Si ponamus, inquit, huiusmodi hominem sepius in vitâ, vel quotidie per multum tempus, iterare actus Contritionis, faciendo quantum in se est, & quantum ipse assequi potest perseverando diu sine Conscientiâ peccati mortalis; non videtur possibile, quin aliquando veram Contritionem eliciat; suppositis principijs certis de Gratiâ Dei, & promissionis eius quas habemus.*

Suar. ibid.
n. 7.

*Hinc qui
bona fide
semper confessus est,
curet non
tam anti-
qua peccata
repetere,
quam nouâ
de omnibus
contritionem
excitare.*

Luculentum sanè tanti Theologi effatum, quodque compendendis infinitis animi semper fluctuantis tempestatibus, est accommodatissimum. Etenim manifestum nunc est, de præteritarum Confessionum bonâ fide exactarum, neminem unquam, ne in vitæ quidem termino, debere esse sollicitum: id est, consultum non esse, peccata rursus particulatim reperere, & quasi si numquam aut si malè fuerint exposita, denuo enarrare: hæc inquam necessaria non sunt. Enitatur ergo, non singula confiteri, sed generalem de omnibus omnino peccatis præteritis Contritionem, aut perfectæ Charitatis, aut Attritionis in Sacramento Pœnitentiæ actum exercere: & tam supplebitur defectus, aut error bonâ fide

54.

fide in aliquâ præteritarum Confessione commissus, quàm si singula totius vitæ peccata repetantur. Nescio quid ad confirmandum hominem, dici possit luculentius? aut quid præter moralem hanc certitudinem, quam omnia hæc quæ enarrauimus, præsertim simul concurrentia adferunt, humana curiositas vltra prudenter desiderare possit: nisi fortè jam cælum ipsum occupare quis velit, ejusque possessionem adire, vt obtentæ demum gratiæ certus sit. Verùm, rem ne præcipita quisquis es: aderit aliquando dies opratissima. Interim cælo fruire, quod Conscientia bona & mortalis hæc vita fert.

§. VI.

Respondetur ad auctoritates sacrae Scripturae, quibus omnis certitudo obtentæ gratiæ, videtur elidi.

55. **I**llud tandem restat, vt Sacrae Scripturae testimonijs quæ num. 9. retulimus, quæque certitudinem omnem gratiæ obtentæ videbantur elidere, faciamus satis.

Et primum quidem ex Ecclesiaste perebatur. Sic habet. *Nescit* Exponitur locus Ecclesiaste. *homo an amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Verba si attendis, conclamata est res. At sensum si inquiris, non est quod exhorreas: neque enim Spiritus Sancti, aut vox, aut mens, sibi potest esse contraria. Scientiam ergo, & certitudinem quam falli sit impossibile, excludit Ecclesiastes: eam nempe quæ sit Fidei, & cui, vt Tridentinum exactè definit, *non possit subesse falsum*: non verò negat eam dari certitudinem, quam moralem dicimus, & quam ex conjecturis eiusmodi educimus, quæ licet Metaphysicè expensæ, præsertim seorsim singulæ, possint fallere; tamen conjunctim quasi confæderatæ, nullam admodum humano modo, id est, prudenter expendenti omnia, relinquunt falsi suspicionem. Nam vt rectissimè D. Augustinus, *est quidam modus in Conscientiâ gloriandi, vt noueris Fidem tuam esse sinceram; noueris Spem tuam certam; noueris Charitatem tuam esse sine simulatione.* Quid deinde? Dicit id D. Cyprianus. *Viget apud nos, inquit, Spei robur, & firmitas Fidei; & inter ipsas seculi ruinas, erecta mens est, & immobilis virtus. & de Deo suo semper anima secura.* Quâ freta certitudine? eâ nempe quæ non sit Fidei; id est, quæ Deo potestatem absolutam, omnia inuertendi adi-

mat; sed quæ homini fiduciam omnem præstet, nec de Dei bonitate vel per umbram quidem sinat dubitare.

locus Ec-
clesiastici
exponitur
tripliciter.

Secundum ex Ecclesiastico intorquebatur telum. Clarissimis enim verbis dicit, *de propitiato peccato noli esse sine metu*. Miror sanè passim locum hunc adferri, & quasi magni sit ponderis, magnificè semper appendi & expendi, ab iis qui pusillanimitatis suæ & diffidentia quærunt patrocinium. Nihil enim minus hic dixit Ecclesiasticus, quàm quod ipsi sibi fingunt. En sensum & quidem triplicem, quorum nullus ad rem ipsorum facit. Animum, si placet, aduertite.

56.
Eccli. 5.
v. 5.

Prima ex-
positio.

Primò enim, dum Ecclesiasticus monet, ne quis de propitiato peccato sine metu sit: non dicit metueudum esse, ne forte condonatum non sit, uti quidam id intelligunt. Minime verò: aduersaretur enim sibi ipsi hæc propositio, & sese destrueret. Quid enim? si propitiatum sit peccatum seu condonatum, quo pacto prudenter vult me metuere factum non esse quod tamen factum statuit? Profectò non planè sanum sibi que cohærens videtur dare consilium quisquis diceret, Condonatum est tibi commissum scelus, sed metue condonatum ut ne sit. Quid enim deinceps metuam, si tota metus ablata est occasio? Dico igitur, metum quem hoc loco commendat Ecclesiasticus, non ad peccata præterita, sed ad futura cauenda, esse referendum, ut mox ostendam. Interim si etiam ad præterita placet applicare, tum sanè assero, non de culpâ penitus remissâ (propitiatum enim peccatum, seu culpæ gratiam factam esse ipsissima propositio est hypothesis) sed de pœnâ peccatis debitâ, sermonem hîc esse. Quasi si dicat; propitiato peccato, id est condonatâ jam culpâ, noli esse sine metu pœnæ, pro quâ fortasse à te factum non est fatis: præstandæ hæc autem sunt, ne juris sui tenax Deus, eas aut in hæc vitâ, aut in futurâ seuerus exigat.

57.

Secunda
expositio.

Secundò, si ad præterita peccata trahatur propositio; alter hic sensus esse potest, & commodus. *De propitiato peccato noli esse sine metu*, non an propitiatum sit, sed ne vestigiâ fortè, deliciarumque degustatas reliquias animo impresteris; vnde contracta sit peccandi consuetudo, quæ facillè rursus in luctus tuos profiliret, itaque peccato condonato, peccati reliquias time, & timendo sapias.

58.

Tertia ex-
positio.

Tertiò tamen, hæc verba omnino ad futura existimo referenda esse

59.

esse scelera; quasi si dicat; Peccator, quamuis misericordem Dominum sis expertus, noli tamen *esse sine metu*; id est ne licentiosius viue posthac: aut quidquam de salutis curâ remitte, aut sceleratè agere minus verè, quasi si tibi facilis scelerum condonatio præsto sit; neque magnopere timenda sit offensa, cuius tam parabilis & prompta est impunitas. Atque genuinum hunc esse sensum Ecclesiastici, præcedens, & sequens deinde orationis contextus, facit manifestum. Ita habet: *Ne dixeris; Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Atque hinc subnectit, quasi consecutionem; igitur *de propitiato peccato noli esse sine metu, neque adicias peccatum super peccatum.* Id est, ne super remissum peccatum, temerè & quasi per ludum, nouum adicias; rationemque grauissimis verbis subdit, *Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Id est, Deum ne irrita; tam enim ei facile est irasci, quàm misereri: misericordia verò irritata, in iram degenerat; & patientia læsa fit tandem furor. Atque hunc esse proprium sententiæ huius sensum, clarissimè indicat textus Græcus, sic vt dubitationi non sit locus. Ita fert. *De propitiatio- ne non sis securus multum, vt adicias peccata peccatis.* En, quàm propitiati peccati securitatem excludat Ecclesiasticus: eam nempe quæ ad peccandum liberam facit viam, non verò quæ peccati remissi certam faciat. Itaque quamuis de obtentâ gratiâ certus sis, tamen *noli esse sine metu*, ne fortè per inconstantiam, mentisue peruersitatem rursus relabaris: ne & pro ingrato animo puniaris atrocius; & ne pro contemptâ Dei misericordiâ, quæ tibi impudentius peccandi fuit occasio, tibi aut per mortem subitam, aut per impenitudinem animi & peruicaciam, subtrahatur tandem gratiâ à te toties, & tam improbè contempta.

60.

ad Phil. 2.
v. 12.

Tertia denique auctoritas D. Pauli est quæ obiicitur. Admonet, inquit, Apostolus Philippenses *vt cum metu & tremore salutem suam operentur.* Sed quid deinde? aut quid exinde conficis? an certos de gratiâ non posse esse nos, quasi qui de obtentâ semper debeamus esse incerti? Certè id non vult Apostolus: quinimo contraria innuit omnia. *Cum metu inquit & tremore salutem suam operentur;* igitur salutem suam operantes alloquitur. At verò quis salutem suam operatur, nisi qui Gratia statum obtinuerit? Manifestum est ergo Apostolum iis scribere; qui gratiæ dignitatem

Exponitur
D. Paulus.

dignitatem sunt affecuti, His autem quid commendat, quid suadet? an ut timeant se statum illum non obtinere quò fruuntur? Minimè verò; absona enim esset hæc oratio, & quæ fidelium mentes non erigeret, sed pessumdarèt. Et verò pro deridiculo haberetur, quisquis viatori rectam tenenti viam diceret, Recta est via, bona est via, & ad optatum finem ducit; eam tamen ita persequere, ut semper timeas, ne sis in viâ. Ridicula inquam esset hæc propositio, prudens tamen futura, si dixerit, Dum rectam viam tenes, time eâ ne excidas.

*Non est metuen-
dum de
gratiâ, ob-
senta an-
sit, sed ne
perdatur.*

Hæc profectò mens est Apostoli; non vult eos qui salutem suam operantur, dubitare an id agant, sed metuere ne ab incepto deficient: non vult de viâ formidare, an rectam teneant, sed cauere ne ab eâ quam bene instituunt, deflectant, & in auia ferantur præcipites. Itaque cum metu & tremore salutem operare, id est, dum salutem operaris, quod nihil aliud est quàm dicere, dum statum gratiæ obtines, metue. Quid verò metuam? in gratiæ statu non esse me? Nullâ ratione; sed metue ne tantam rem, per incuriam amittas. Sic pretiosissimam gemmam domum deferenti, non inconsulto dicitur, cum metu & tremore, domum abi. An tamen suadet ut metuat, ne gemmam fortè non deferat quam tamen manu tenet, atque oculis videt? aut debet formidare, ne supposititium quid sit, & fictum gemmæ genus, quod à summo Rege, magnificentiæ ostentandæ causâ sibi publicè datum accepit? Sanè in Principis contemptum timor hic cederet, & vanus metus. Quidquid ei timendum suadet, est, ne tam pretiosum monile amittat: itaque agendum cautè, ne domum abiturus, in viâ perdat, quod in patriâ faciet fortunatum. Non secus, de charissimorum sibi filiorum salute sollicitus Apostolus, metuere eos vult. Sciebat enim verò, quàm pretiosa sit Gratia, quam Christo, thesauros suos liberalitatis ostendendæ ergò, elargiente, singuli acceperant. Hinc eos admonet, sibi ut caueant, in viâ adhuc esse; thesauro suo metuant, ne à prædonibus spolientur, eumque omni conamine studeant domum deferre; cum timore & metu, id est solliciti, ne quidquam tam bonæ rei per incuriam amittatur.

*Testimonio
conscientiæ
fructus, sine
securus ob-
tenta gra-
tia.*

Ex quibus omnibus istud tandem patet, quis habendus sit metus, & quæ certitudo. Conscientiæ tibi obtentæ gratiæ litteras dum porrigit, easque suo testimonio dum obsignat, eas supplex accipe;

61.

62.

accipe; & cùm sint authenticæ, fidem habe, & viue securus
tui. Amicus Dei es; ab amico metuendum est nihil. Istud
tantùm merue, ne rursus gratiã excidas, quæ tanti stetit; non
tam tibi, quàm sanguini innocentis Dei. Testimonium Con-
scientiæ tecum fers; eo fruire lætus & alacer, sed cautus ser-
ua: aternitati enim scriptæ sunt securitatis datæ literæ, nisi
tu neuis. Libet tandem exclamare cum D. Augustino. *O Con-*
scientia sancta! in terrâ adhuc es, & in cælo habitas. Gaude
anima, sanctâ Conscientiâ condecorata: gaude cælesti & aternâ
gloriâ: cuius nempe pignus & arrha, est Gratia quam circum-
fers, Conscientiæ bonæ sigillo & testimonio obfirmata.

D. Aug.
serm. 10.
ad frat.
de ere.



Dddd

NONVM